



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Bibliotheca Rhetorum**

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et  
Oratiunculae

**Le Jay, Gabriel François**

**Ingolstadij, 1726**

Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

LIBER EPISTO-  
LARUM.  
PRÆFATIO.

**N**ON est inanis, aut in tenui po-  
sita conscribendæ Ars Epistolæ;  
ac licet nihil tam passim obvium, tam  
frequens in usu, quàm Epistola; nihil  
tamen videas plerumque in eo genere  
perfectum & absolutum minùs. Imò,  
Ars ipsa nocet per se se, dum exquisitiùs  
affectatur in eâ re, quam esse nativam  
totam oportet. Hæc enim Epistolæ dos  
prima. Neque verò aliam ob causam  
Nostrates quidam sub medium poste-  
rioris sæculi Scriptores vilescere jam  
cœperunt, nisi quòd in scribendis Epi-  
stolis nativæ simplicitatis contempro-  
tes, subtilis ingenii famam curiosiùs au-  
cupabantur.

Hic porrò naturæ color & genuina  
simplicitas, non tantùm in rebus quæ  
scribuntur, sed in ipso etiam stylo ser-

vari debet ; qui non incitatus aut vehemens, aut figurarum distinctus luminibus, ut in oratione, sed lenis, concinnus, ac politus, qualis liberalibus & honestis in colloquijs usurpari solet. Nam cum est illud Epistolæ proprium, & hujus causâ inventa res ipsa, ut certiores faceremus absentes, si quid interveniret fortè, quod eos scire aut nostrâ aut ipsorum interesset ; tum certè non debet illa à mutuo liberalique sermone, qui habetur inter præsentis, longius discrepare.

Epistolarum autem multa genera sunt ; at duo isthæc imprimis, unum familiare & jocosum, alterum severum & grave. Prius inter amicos & familiares adhibetur, à quibus ea vulgò tractantur in Epistolis, quæ lepida & festiva sunt. Posterius in usu est, cum scribitur ad personas alicujus auctoritatis ac dignitatis, quibuscum graviora plerumque ac severiora agitantur. Tamen hæc ipsa gravitas ac severitas temperatur nonnunquam ac remittitur pro varietate argumenti, quod Epistolæ materiam

teriam suppedirat; sic ut jocos etiam  
 patiantur, quæ mittuntur ad viros Prin-  
 cipes Litteræ, si modò scurriles non sint,  
 ac mimici. Plenæ sunt apud Horatium  
 urbanis ejusmodi salibus, quas ad Me-  
 cœnatem & ad Augustum scribebat,  
 Litteræ. Nec ipse Cicero, cùm scribit  
 ad Cæsarem, & ad viros in Republicâ  
 primarios, liberalibus facetijs abstinet.  
 Sed licentia illa non datur, nisi pruden-  
 ter sumpta; neque omnium est ita lude-  
 re joculariter cum personis, adversus  
 quas reverentia quædam atque obser-  
 vantia semper adhibenda est.

Placebant olim in Epistolâ verbo-  
 rum quædam lautitiæ & officiosæ urba-  
 nitates, vel cum fastidio conquistæ;  
 jam delicatior rerum gustus comptio-  
 res istas munditias, uti privatis è con-  
 gressibus, ita è Litteris expulit, nec abuti  
 iis licet nisi parè admodum & sobriè.

Non est prætermittenda Epistolæ  
 non ultima laus, brevitatis; nam quæ  
 prolixior est, fastidio proxima sit, nisi  
 fortè res agitentur ejusmodi, quæ lon-  
 gam disceptationem requirant. Alio-

quin Epistola loquacior aut negligentia, aut nimia festinationis vitium arguit. Hinc ille excusans apud amicum Litterarum suarum prolixitatem, non scitè minùs, quàm verè dicebat, non licuit mihi per tempus esse breviorè,

Denique infinitus sim ego, si varia, de quibus scribitur, argumenta complecti velim: cùm nihil sit rerum omnium, quod Epistola non admittat. Quare satìs habebò indicare hìc certa quaedam capita, ad quæ revocari possunt, quæ Litteris vulgò committuntur. Atque ut varijs de argumentis adiri Tullius possit, tam in Litteris, quàm in Orationibus exarandis dux optimus, contexuimus Indicem, qui familiares Ciceronis Epistolas designabit sub illis capitibus contentas. Quod verò ad nostras Epistolas attinet, non pares numero, multò minùs elegantia & dignitate, quo in genere scriptæ sint, nota singulis præposita declarabit.